

hac sublunari mundi regione consistunt, essent  
 admirati: admiratione ducti, causas earum  
 inuestigarunt: usq; inuentis, ulterius progressi  
 sunt: & de illis quoq; curam cogitationemq; sus-  
 ceperunt, qua in aetherea mundi plaga conspici-  
 untur: itidem admiratione motus corporum  
 caelestium constantis atq; continui: magnitudinis  
 eximia: figura exquisitè rotunda: luminis perpe-  
 tuò splendentis: situs & ordinis concinni: deniq;  
 influentia varia ac multiplicis impulsu, & in  
 sublime quasi tracti. Neq; id sanè immeritò.  
 ΕΝ ΜΕΝ Ψ Τῶ Ἰασημάζειν τὸ Ἰπιδυμεῖν μαθεῖν ἔστι, καὶ τὸ Ἰασημαστὸν  
 Ἰπιδυμηστὸν, inquit idem philosophorum princeps  
 lib. 1. Rhet. c. 11. admirationi cupiditas discendi  
 inest: & admirabile quod est, inquirendi deside-  
 rium parit.

Quodsi parua licet componere magnis, verè  
 affirmare possum, quemadmodum ADMIRA-  
 TIO effectuum naturalium priscis hominibus  
 philosophandi causa fuit: sic eandem & mihi  
 occasionem præbuisse: ut de novo, & ante hunc  
 diem nostra in Republica inaudito ferè mortis  
 genere, quo nuper honestissimus, summæq; spei  
 adolescens, GEORGIVS SCHONERVS,  
 integerrimi viri, D. JOSIÆ SCHONERI,  
 publici granarij Præfecti fidelissimi, Filius est ex-  
 tinctus